

qui in commentario suo ad Matth. XXIV. 2. p. 10. 41. inter alia sic scribit: *Unde etiam Christiani, moniti hujus memores, cum Romanus exercitus adventaret, successerunt in oppidum Pellam, teste Eusebio.* Quæ sententia etiam nobis arridet.

XVII. An autem hi ipsi, turbido hoc belli tempore aliquem cœtus ducem habuerint, sub cujus imperio Hierosolymis exierint, non adeò constat. Affirmat id quidem *Conrad. Graferus in Isag. Hist. Lib. III. p. 267.* & arbitratur, illum fuisse *Simeonem Cleophæ Filium, & Jacobi Justi Episcopatu Hierosolymitano successorem & fratrem*; quod etiam ex ipso enarrat *Adrian. Regenvolscius in System. suo Historico Chronologico pag. 268.* quâ verò auctoritate hoc assertum suum confirmet, non apparet: nisi quòd omninò credibile est *Simeonem*, qui Ecclesiæ Hierosolymitanæ post Jacobum, ex communi sententia, Episcopatum gessit, & tamen usque ad Trajani aetatem vitam perduxit, adeoque Vespasiani tempore, quo excidium Hierosolymitanum contigit, superstes fuit; non tantùm cum cæteris curæ suæ commissis eodem beneficio divino donatum evasisse, sed etiam migrationem ipsam, uti alia cœtus sui negotia direxisse. An autem revelatio singularis ad ipsum immediatè facta, perque illum populo fideli promulgata, sic migratio injuncta & consummata fuerit? non definimus.

XVIII. *Ad causam fixalem* potius accedimus, considerantes, quem scopum sibi præfixum habuerint migrantes Christiani, quemque eventum hæc migratio fuerit nacta. Immunitatem suam ab imminentibus

extre-